

aquis excitantur: quibus altae, renovataeque stellae, atque omnis aether, refundunt eadem, et rursum trahunt indidem, nihil ut fere intereat, aut admodum paullulum, quo astrorum ignis et aetheris flamma consumat. Ex quo eventurum nostri putant id, de quo Panaetium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, quum, humore consumto, neque terra ali possēt, neque remearet aër; cuius ortus, aqua omni exhausta, esse non posset; ita relinqui nihil praeter ignem; a quo rursum animante ac deo renovatio mundi fieret, atque idem ornatus oriretur. Nolo in stellarum ratione multus vobis videri, maximeque earum, quae errare dicuntur; quarum tantus est concentus ex dissimillimis motibus, ut quum summa Saturni refrigeret, media Martis incendat, his interjecta Jovis illustret et temperet, infraque Martem duae Soli obediant, ipse Sol mundum omnem sua luce compleat, ab eoque Luna illuminata graviditates et partus afferat maturitatesque gignendi. Quae copulatio rerum et quasi consentiens ad mundi incolumitatem coagmentatio naturae, quem non movet; hunc horum nihil umquam reputavisse certo scio.

Cap. XLVII. Age ut a coelestibus rebus ad terrestres veniamus: quid est in his, in quo non naturae ratio intelligentis appareat? Principio, eorum, quae gignuntur in terra, stirpes et stabilitatem dant iis, quae sustinent, et ex terra succum trahunt, quo alantur ea, quae radicibus continentur; obducunturque libro, aut cortice trunci, quo sint a frigoribus et caloribus tutiores. Jam vero vites, sic claviculis adminicula, tamquam manibus, apprehendunt, atque ita se erigunt, ut animantes. Quin etiam a caulibus, si propter sati sint, ut a pestiferis et nocentibus, refugere dicuntur, nec eos ulla ex parte contingere. Animantium vero quanta varietas est? quanta ad eam rem vis, ut in suo quaeque genere permaneant? quarum aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae; pluma alias, alias squama videmus obductas;